

mit, Non emit, quos perdat, sed emit, quos vivificet. Ambrosius iterum super Lucam Lib. VII. cap. 12. fol. 696. *Adversarius*, ait, *tanquam captiva mancipia vilioris pretio estimationis addicit. At verò Dominus tanquam speciosa servitia, que ad imaginem & similitudinem sui fecit, idoneus sui operis estimator magno pretio nos redemit, sicut S. Apostolus (1 Cor. VI, 20.) dixit; Empti enim estis pretio magno. Et bene magno, quod non estimatur ære, sed sanguine, quia pro nobis mortuus est Christus, qui pretioso nos sanguine liberavit. Verè porrò magnum est hoc beneficium, quia magna omnium hominum multitudini acquisitum. Dedit enim Christus Jesus, ἡμῶν noster semetipsum ἀντίλυτρον, pretium redemptionis pro omnibus, 1. Tim. II, 6. Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem; ita per unius justitiam, sive justam satisfactionem propagatum est bonum in omnes homines ad justificationem vite Rom. V, 18. Verè denique magnum est Redemptionis beneficium, quia magnum & uberrimum parit fructum, qui partim ἐρησιν sive remotionem & ablationem omnis mali, culpæ & pœnæ, temporalis & æternæ, & ἴεσιν sive δόσιν, restitutionem & adductionem omnium bonorum spiritualium complectitur. Magnum hoc ac ineffabile Redemptionis & Salutis nostræ Mysterium Apostolus Paulus in aureolo suo Aphorismo Gal. III, 13. 14. verbis numero paucis, pondere autem gravissimis proponit & quinque quasi capitibus includit, ostendens I. QVIS, II QVOS, III. UNDE, IV. QVOMODO, & V. IN QVEM FINEM, redemerit? Verba textus Originalis hæc sunt;*

Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρσεως τῶ νόμου, γινόμενον ὑπὲρ ἡμῶν κατάρσος, γέγραπται γὰρ, ὅτι κατάρσεται πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλῳ. ἵνα εἰς τὰ ἔθνη ἡ εὐλογία τῆ ἀβραάμ γένηται ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ἵνα τὴν ἐπαγγελίαν τῆ πνεύματος λάβωμεν διὰ τῆς πίστεως. Vulgatus ita vertit; *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum (quia scriptum est, maledictus omnis, qui pendet in ligno.) Ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu: ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.*

Junio